



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-238422-p0001-8

DFG



6 DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,

Quam *1710*
SUPREMO FAVENTE ET PRÆSIDIS LOCO
ASSISTENTE NUMINE

E x

AUTHORITATE & DECRETO

EXCELLENTISSIMÆ ET CONSULTISSIMÆ

FACULTATIS JURIDICÆ

In illustri Regia, quæ Duisburgi
Clivorum est Universitate
Florentissima

P R O L I C E N T I A.

Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia
ritè legitimeque consequendi

Placide eruditorum disquisitioni submittit

WALRAMUS FRANCISCUS HARTMAN,
Dusseldorpio-Montanus,

Ad diem Februarii 1710.

In Auditorio majori horis consuetis.



DUISBURGI ad RHENUM,

Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi,
Anno M DCC X.

**DE O,
PARENTI-
BUS,
PATRONIS,
AT QUE
AM IC IS
SACRUM ESTO.**



QUÆSTIO I.

An Donatio ob supervenientiam
Liberorum sit revocabilis?



Uæstionem hanc non ita pridem in laudatissima hâcce Academia Disputatione Inaugurali pro & contra ventilatam esse, constat, ubi ratio dubitandi potissima ex l. 8. Cod. De revocabil. donat. deprompta, scilicet: rationem dictæ l. 8væ generalem esse, & ad extraneos extendendam, ejusque constitutionem ad alios quoque Donatores porrigidam esse, idque dum revocatio ex tacita illa voluntatis conjectura nascatur, quod, uti credibile est, Patronum liberto donaturum non fuisse, si de liberis cogitasset, ita nec ex eadem in aliis Donatoribus militante ratione, eos aliud facturos fuisse arbitrandum, cùm eadem pietatis conjectura tam Donatoribus in genere, quam Patrono in specie inesse dicenda sit, nec in pati causa diversum Jus constitui debeat, quoniam diversitatis ratio reddi nequeat, l. 32. ff. ad L. Aquil. Cum autem donatio pura & inter vivos sic fiat, ne Donator recipiat, l. r. §. 1. ff. De Donation. & ut res statim fiat accipientis Donatarii, nec ullo casu ad Donatorem revertatur, ut

A 2

Julianus

Julianus in l. 1. ff. De Donat. & Paulus in l. 35. §. sed mortis ff. de mortis caus. Donat. loquuntur, sic diversitatis ratio facilè patet, maximè, dum hic casus de Patrono & liberto disertis verbis conceptus, de aliis autem Donatoribus sup. cit. LL. contrarium statuant. Non obstante autem, quod quibusdam Donatio propriè contractus non dicatur, propterea, quod dictante l. 14. ff. de precar. nullum inter donantem & donatarium negotium geratur, perinde tamen adeo irrevocabilis est, ac si esset negotium ultro, citroque obligatorium, uti commode ad quasi contractus illa quoque refertur, cum, ut dictum, donatio pura sic fiat, ne donator recipiat: estque deinde Juris apertissimi, eodem modo quid dissolvi, quo colligatum est, Donatio autem, cum duorum consensu colligata sit, cur quoque duorum consensu non dissolventia sit itaque dicisio, quod Donatio ob supervenientiam liberorum sit irrevocabilis.

QUÆSTIO II.

An Delegatio sit solutio?

Duo esse potissimum delegationis requisita ex l. 1. Cod. de Novat. & l. 26. §. 2. ff. de Mandat. satis colligere licet ut nimur Delegatus volens fiat Debitor, nec non Creditor volentem admittat delegatum, quod præter cit. ll. per l. 31. §. 1. ff. & l. 6. Cod. de Novat. roborari videtur, terrum requisitum ex Gratiano notat Finckenl. hanc scil. ut delegatus delegantis sit debitor, cui tamen calculum non addo. Huic quæstioni obstat videtur l. 49. ff. de Solut. ajens: *Solutum non censeri.*

• 5 (5) 50

feri, nisi naturalis fiat praestatio, ita, ut actualiter & vere pecunia numerari & in conspectu Creditoris ponи debeat l. 79. in princip. ff. de solut. maximè dum teste Menochio l. 3. presumpt. 151. n. 1. solutio proprie dicitur, quæ fit solutione reali in parata pecunia; Re verò penitus inspectâ dicta loca per l. 8. §. 3. ff. ad SCium Vellej. faciliter componuntur, dum solutio in Generali & latâ significatione, Delegationem & factam quoquo modo liberationem comprehendit, quod & per l. 37. ff. §. 4. de operis libert. confirmatur ubi observatis supra dictis duabus Delegationis requisitis Delegatio legitimè facta solutionem inducit, vel sâtem solutionis vicem obtinet, ita, ut prior obligatio adeo extinguitur, ut in casum quo Delegatus facultatibus defecerit, Delegans nequidem possit molestari, per l. 3. Cod. de Novat. presuppositâ itaque legitimè factâ delegatione fit Decisio, quod Delegatio sit solutio.

QUÆSTIO III.

An Bannitis competit defensio?

Defensionem aliam naturalem esse, & Juris Gentium (quæ scilicet respectu originis & inclinatio-
nis Juris Naturae est, & à Jure Gentium formata)
aliam verò Civilem (quæ nimurum Jure Civili approbata
& certo modo limitata) non indiget probatione, qua-
rum primam Bannitis adimi non posse judico, cum de-
fensio, quæ Juris Naturalis, ne Diabolo quidem, ut a-
junt, deneganda, & sicuti hosti nequit adimi, ita nec
Bannitis, eò quod nihilominus jura retineant naturalia,

A 3

&

& ea quæ sunt Juris Gentium non amittant. Nunc autem de Civili dubium restat, quod cum Gail. distinguendum puto: numne ex privato odio, anne vero favore publicæ disciplinæ Banniti fuerint insultati, casu primo defensionem civilem Bannitis denegari non posse sentio, secundo autem casu arg. l. 4. Cod. de his qui ad Eccles. conf. nullam eis competere arbitror, quia ubi offendit jure concessa, ibi defensio prohibita, quod ampliandum videtur, ut non tam Bannitorum & complicum personæ omnium offensioni, quam universa eorum bona cujusque direptioni subjiciantur & exponantur, Ordin. Camer. p. 2. T. 9. ibi: Sollen das und derselben Leib und Guth allermäntlichen erlaubt seyn ic. & ut ex Anton. Quetta Conf. 14. N. 14. & N. 31. & 32. notat Theodoricus, quod, quando licetè quis offendit, alterum in justè resistere, necesse sit, meritò igitur concludere possum, Bannitis nullam competere defensionem.

QUÆSTIO IV.

An Virgini concessum sit pudicitiam suam attentantem occidere?

Observato ipsiusmet summi Dei Præcepto, quo generaliter nullâ factâ distinctione non occidere mandatur, meritò concluderem, Virginem non habitâ reflexione pudicitiae suæ, & quæ sub Diuino hoc Præcepto contineri cum l. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Scæris. pœnam capitis in occisorem statuat, ast l. 1. §. 4. ff. eod. attentatæ pudicitiae periculum ad defensionem personalem (quâ quis à personis injuriosam vim ac offendit)

fensionem repellit, depellit ac propulsat) referre videtur,
 castitas enim & virginitas dum periclitantur, non minus,
 ac cum viræ discrimen vertitur, de damno agitur irre-
 parabili, ut proinde se & honorem suum defendere li-
 ceat, Quippe sicut vita, ita & castitas & pudicitia semel
 amissa & perdita irrecuperabilis est per L. Unicam princip.
Cod. de rapt. Virgin. Quemadmodum itaque vitam su-
 am defendere Juris Naturæ est, sic ex eâdem ratione
 dico Virginî concessum esse pudicitiam suam vi atten-
 tantem occidere.

QUÆSTIO V.

An Judex inferior Reo criminis,
 ut fateatur delictum, simulatis
 verbis impunitatem, vel saltē
 poenam mitiorem promittere,
 promissione verò non attentâ &
 facti veritate extortâ atque explo-
 ratâ nihilominus reum condem-
 nare ac poena ordinaria punire
 possit?

FIdem & promissionem semper in quovis actu sive
 negotio servandam esse sanctèque custodiendam ex
l. i. ff. de pactis & l. i. ff. de constit. pecuni. proba-
 tur, eam verò quæ jura publica lædit minimè servandam

48.

arg. l. 7. §. 7. ff. de Paetis colligitur; nec quenquam sub fide publica decipere debere tenet l. r. Cod. de his qui veniam etat. quare in Judicis inferioris potestate minime situm, criminis veniam indulgere, vel etiam levior tem pœnam, quam, quæ legibus statuta sit promittere, ut loquitur Finckelthans. Obs. 105. facti enim quæstio in arbitrio quidem Judicantis, pœnae vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis autoritati reservatur l. r. §. 4. ff. ad SCtum Turpill. cum summus Princeps solus habeat summam pœnæ delictorum remittendi potestatem, Judex vero inferior nihil in præjudicium & detrimentum Reipublicæ statuere potest, arg. l. 7. §. 14. ff. de paetis. l. 37 & 38. ff. cod. Nec Judex facta à se promissioni in hoc casu state tenetur, cum directè ageret contra leges absolute statuentes ne delicta manent impunita, dico igitur Reum in casu supra dicto adhuc condemnari & pœna ordinaria puniri posse.

QUÆSTIO VI.

An Legatum quod Scriptor Testamenti ipse sibi adscripsit,
valeat?

Multum negotii facessere videtur l. 22. Cod. de Test. ubi Imperator Zeno inquit: dictantibus testamento legatum Testatorem posse relinquere minime dubitandum est, hanc vero legem non de scribentibus, sed conceptum à testatore, in charta aut scheda adumbratum testamentum dictantibus intelligendam sentio

sentio cum Finckelhauſ. & aliis, obſtare quoque videtur
l. 12. §. 3. in fine ff. de Legat. 1. de voluntate testatoris lo-
 quens, quam quidem prium in testamenis locum ob-
 tinere, & omnimodo liberam esse debere, extra dubium
 est. Eam verò legibus contradicere non posse dico,
 quod fieret, si contra legem 15. ff. ad L. Cornel. de falf.
 Legatum scriptor caperet, in dicta lege autem non tan-
 tum legato scriptor privatur, sed & tanquam falsarius te-
 netur, confirmantibus *l. 3. Cod. de his qui in testamento*
sibi adscrip. & *l. 1. §. 7. ad L. Cornel. de falf.* cum & di-
 ferent in *l. 6. ff. cod.* ibi: Si quis legata sibi adscripsit,
 tenetur poenā Legis Corneliaz, dicitar, nec non *l. 1. ff.*
de his qua pro non script. ubi legata sibi ipſi in testamento
 adscripta pro non scriptis censemur, sit igitur decisio Le-
 gatum, quod scriptor ipſe sibi adscriptus non valere.

COROLLARIA.

Revolvū in Cuiuslibet invenientia
Legatum in re seu pecunia certa
 in testamento relictum, & Post-
 ea à testatore vel alienatum vel
 consumptum, testator ademisse
 non censemur.

48 (10) 50

II.

Conductor de levi tantummodo
culpa, non autem de levissima
tenetur.

III.

Jus Patronatūs in Prædio locato,
non à Locatore, sed Conducto-
re exerceri judico, nisi id à lo-
catore expressè reservatum.

IV.

Revisio in Camera Imperiali su-
spendit latæ sententiæ execu-
tionem.

V.

Advocatus, qui causam Feudi utili-
ter gessit, salarium à Feudi suc-
cessor-

os (n) se
cessoribus petere potest.

V I.

Advocatum dolo contra dolum uti
non posse dico.

S O N E T T O.

A Mor', studio, e bon' fin', son' duri passi;
Amar', saper', e goder', son' cari pugni,
Vere prove d' honor', e veri segni,
Che quando vinti son', son' puri spassi.

Ora FRANCESCO, Tù ami, e sai, e godi,
Quella legge prudente, che regge il tutto;
Ora de Tuoi sudori, l' ingegno acuto,
Sciolti ben' hà, quei penuriosi nodi.

Ecco là Virtù, che premiar' Ti puole;
Ecco là legge, ch' à Coronar' T' invita;
Ecco là gloria, ch' inalzar' ti vole.

Eccom' anch' io, col più sincer' del Core,
Ad applaudir' col viva, i Tuoi sudori;
E col brammarti, il cultivarne il fiore.

In segno d' Affetto dedica

AN. BA. Ma. Di. Li. It.

B 2

Exem-

Exemplar variae Themidos, studiique, quod ullo
Tempore Duisburgum vendidit arte vides,
Archetypon mens ipsa viri est, namque omnia grandi
HARTMANN ingenio continet ipse suo.

Hoc D. DOCTORANDO, Com-
mensali, Confratri & Precedi
suo posuit

FRATERNITAS UNIONIS
PERPETUÆ.

Nobilitate Generis, Eruditione & Vir-
tute Clarissimo Domino

WALRAMO FRAN-
CISCO HARTMAN
Dusseldorpio-Montano

Commensali, simul & patriotæ suo
suavissimo Honoris ergo posuit
infra Nominatus.

Quod pectus tibi forte: animique quod ardua virtus,
Mens & in accessum ficta subire decus.
Candida Juridici restantur prælia martis.
Bellaque doctilioquis, expedienda modis.

Nempe

Nempe tui specimen nunc das HARTMANNE laboris
 Primaque militiae das rudimenta tuæ;
 Gratulor ergo tuos tibi, propter amice labores:
 Ingenio capias, præmia digna tuo
 Patris cum prudens vestigia clara sequaris
 Sectantis leges, militiamque fori.
 Qui quoque præclaros, opera acquisivit honores:
 Jura pius reddens, Civibus æqua suis.
 Nec pigeat veterum, sinuosa volumina, legum
 Volvere, & innumeris Differuisse modis
 Hinc animos sumas HARTMANNE hic meta laborum
 Mox venient meritis præmia digna tuis.
 Perge, age: nunc animis opus est: ruiturus in hostes
 Aggredere, audentes adjuvat ipse DEUS.
 Perge, age, perge sequi, Doctorum exemplatuorum,
 Non fuge: quin forti tela retorque manu.
 Duxit Te THYLIUS, pugnæ fortissimus heros
 Quænam Juridico bella gerenda foro.
 Juris utraque via, si quid modo posse putatur:
 Novit, & egregia dexteritate dedit.
 Non est quod metuas igitur: labor iste futuræ
 Maxima, suscepimus, præmia laudis habet.
 Nam quæ Phœbæis parta est feliciter armis
 Inviata aeternum nescia; FAMA mori.
 VIVE DIU cursum feliciter exige: spondent
 Successum cœptis, sorsque, DEUSque tuis.

*Hæcce sinceri amoris erga Patriotam
 & Commensalem Tessera est*

FRIDERICI IACOBI HAVSMAN.

POst tot sollicitos sudores, totque labores,
 Quos impendisti, tempore non modico,
 Non tantum hic studiis, sed & in distantibus oris.
 Nunc Cathedram scandens præmia digna capis.
 Nunc exornabis, Patris Fratrumque decorum
 Edoctus leges, Juraque sacra fori.
 Fac domus antiquo Proavorum stemmate clara
 Sit quoque nunc studiis nobilitata tuis.
 Gratulor ergo Tibi, pugnæ feliciter obsta
 Nunc attentandæ; Sorsque Venusque favet.

*Hijce in perpetua amicitia tesserae
applaudere voluit*

REINHARDUS HYMMEN.

WU nu wu nu HARTMAN wat kummet die aan
 Dat du so keen up den hangen Staule darfist gaan
 Ick heure dat du wist ut dispueteren
 Um eenen gelerden Doctor to weeren.
 Ick wunsche die viel gluckes alhie
 Darnoo een wacker Meeken darbie.
 Van die hefft düt kein Mensche gement
 De die verduissen hefft rechte jefent.
 Druin nummes sine Kinder den Hals mot te breicken
 Wiel men nit kan witte / wat darinne mach steicken.

Duit hefft ut enen Westphälischen Gemeute
 mit einer Westphälischen Feidder hin
 placket dem Doctorando

CHRISTOPHORUS GEORGIUS
 DESINGER, Monasterio-
 Westphalus.

ULB Halle
001 596 608

3



V017



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-238422-p0018-2

DFG



6 DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA,
Quam *1710*
SUPREMO FAVENTE ET PRÆSIDIS LOCO
ASSISTENTE NUMINE
Ex
AUTHORITATE & DECRETO
EXCELLENTISSIMÆ ET CONSULTISSIMÆ
FACULTATIS JURIDICÆ
In Illustri Regia, quæ Duisburgi
Clivorum est Universitate
Florentissima

PRO LICENTIA.
Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia
ritè legitimeque consequendi

Placida exuditorum disquisitioni submittit
WALRAMUS FRANCISCUS HARTMAN,
Dusseldorpio-Montanus,
Ad diem Februarii 1710.
In Auditorio majori horis consuetis.



DUISBURGI ad RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi,
Anno M DCC X.

